

# ERVDITIONE

ET PRVDENTIA VERE ILLV-

STRI ET MAGNIFICO, AC OMNI VIR-  
*tutum genere absolutissimo Viro D. GEORGIO GIENGER*  
I. C. celeberrimo. FERDINANDO Imperatori à Consilijs ar-  
canis, & præfecto Laureacensi dignissimo, de bonis literis & in primis  
de hoc nobilissimo Archigymnasio Viennensi quàm optimè semper  
merito, D. & Mecœnati suo obseruandissimo. RE-  
CTOR eiusdem Academiæ Vienn:

*Salutem precatur im-  
mortalem.*



**S**ÆPÈ ego & antea priuatus diu mul-  
tumq̃ cogitare solitus, & nunc in ipso Scho-  
læ huius amplissimæ Magistratu tertium con-  
firmatus, etiam mirari satis non possum Vir  
Generose & Magnifice D. GIENGERE  
cum antiquissimum hoc Cæsarum & Ar-  
chiducum Austriæ Gymnasium, præ cæte-  
ris totius Germaniæ Academijs celeberrimum fuerit semper  
quid primum sit, quod superiorum temporum iniuria eius fama  
& æstimatio usq̃ adeò sit labefactata, ut multis penè concidisse  
videretur. Deinde cur tantæ fuerit molis, neque amissæ neque  
præceptæ sed offensæ tantum dignitatis laudem atq̃ famam ite-  
rum recuperare. Ob quam rem alios bellorum acerbitatem,  
alios temporum uicissitudinem, non paucos cum fortunam,  
tum fata nescio quæ durius accusare deprehendimus. Sed hi  
mihi omnes, neq̃ mali huius causam, neq̃ id quod res est probe  
attigisse videntur. Nam etsi nihil æquè pacatissima turbet li-  
terarum studia, quàm strepitus armorum, ac maxima sit ubiq̃ re-  
rum humanarum inconstantia, maior tamen literarum uis est  
atq̃ maiestas quàm quæ possit ullis fortunæ ludicris esse exposi-

\* ij ta.